



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi  
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis  
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio  
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,  
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem  
præceptorum secundæ tabulæ

**Tamburini, Tommaso**

**Monachii, Anno M.DC.LIX.**

Liber Decimvs. [Non concupisces vxorem proximitui. & Non concupisces  
rem proximi tui.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39995**

# LIBER DECIMVS, IN DECALEOGVM.

*Non concupisces vxorem proximi tui.*



*Non concupisces rem proximi tui.*

## CAPVT PRIMVM.

*Premittuntur quædam scitu necessaria de cogitationibus & imaginationibus objecti mali.*

lit, ut intellectus cogitet de eadem copula, idq; propter aliquem finem, sive bonum, sive malum. Cum ergo, quando voluntas vult illicitam copulam, certum sit, committi peccatum, de hac volitione non est necesse, hic multa superaddere; at quando vult, ut intel-

lectus cogitet de prædicta copula, cum rudem cognitionem afferre operationum intellectus & cogitandi, qui est actus intellectus, & sit voluntatis, (quæ etiam appellatur appetitus rationalis) & per copula, poterit ipsa voluntas velle, ut intellectus cogitet de copula, ob delectationem, quæ est in ipsa copula. Quod si voluntas velit, ut intellectus cogitet de copula propter delectationem, quæ est in cogitatione ipsa, vel relata ad copulam, perinde erit, ac si ve-

lla priores propriæ sunt hominis, ut animal rationale est.

Iam verò circa copulam turpem (ut hoc frequentiori exemplo vtar) qualiter hominis prædictæ potentia verari possunt, hoc modo.

2. Primo, intellectus, qui cogitet, discurratque de ipsa copula.

3. Secundo, voluntas, quæ velit, si concupiscat copulam, vel quæ ve-

lit propter delectationem, quæ est in copula, quia tunc ea delectatio ut sic, specificatur ab ipsa copula, quæ inter solitos illicita est.

4. Tertio, imaginatio, quæ est potentia sensitiva, versabitur circa prædictam copulam, si eamdem infra se obvolvet, id est, si per species copulæ sensitivas

B b b 3



sensitius sibi veluti præsentem eam faciet.

5. Quartò denique, appetitus sensitivus immediate ab ejusmodi imaginatione motus sensit delectationem in carne &c.

Hic sunt actus in re distincti, sed tamen difficillimum est distinguere delectationem appetitus sensitivii à delectatione voluntatis; & ratio huius difficultatis est, quia hæ potentia in nobis sunt maxime inter se connexæ, ita ut cum operatur voluntas, operetur & imaginatio, & cum consurgit in voluntate delectatio de aliquo objecto materiali, insurget & in appetitu sensitivo; quia propter sympathiam naturalem delectatio voluntaris excitat delectationem appetitus sensitivii, & è contra, ut experientia constat. Videamus nunc, an prædicti quatuor actus, quando sunt de objecto illico, semper sint peccaminosi.

6. Dico primum; cogitationem intellectus de re mala, v. g. de copula illicita, ex se non esse malam, patet, quia ea cum laude est in Theologo casus conscientia speculante, & se de illa scientia delectante: immo etiam est in Angelis & Deo, qui ejusmodi turpia cognoscunt. Quando etiam est involuntaria non esse peccatum, jam omnibus est exploratum.

7. Dico secundò, actum voluntatis, quo ipsa vult, ut intellectus cogiter de re mala, ob finem bonum, malum non esse; ob finem malum, esse malum. Hinc si id velit propter delectationem, quæ est in ipsa mera & speculatiu cogitatione, quantum est ex hoc capite, non peccat; si autem velit id

propter delectationem, quæ est in ipsa re mala, v. g. in copula, vel in ipsa cogitatione ut relata ad copulam, sicut peccat. Ratio est manifesta, quia talis est delectatio seu voluptas, qualis res seu objectum, unde ea desumitur; voluptas enim ex Aristotele, <sup>a</sup> est perfectio operis, seu ipsius pars & complementum. Cum igitur cogitatio speculativa non sit mala, mala autem sit ipsa res cogitata, v. g. copula illicita, ut item mala ipsa cogitatio, ut ad rem malam relata, eamdem bonitatem vel malitiam participabunt prædictæ delectationes, quas voluntas tanquam fines intenderet. Quid, si voluntas velit cogitare mala, neque propter finem malum, id est, copula, neque propter finem bonum, v. g. studendi, sed propter levitatem vel vanitatem, vel otiositatem, quæ ex se sunt fines venialiter peccaminosi? respondeo, id mox in fine subsequenti dicetur.

<sup>a</sup> Aristotel. l. 10. Ethic. c. 4. Lef. l. 4. c. 3. dñ. 14. n. 108. C<sup>o</sup> pafim.

8. Dico tertium, imaginationem de re mala, si sit involuntaria, non esse peccatum, sicut diximus de cogitatione intellectus, quia non est peccatum, ubi non est voluntas. At si sit voluntaria, id est, cum pleno consensu voluntatis, sed ob bonum finem, v. g. studendi, non esse ex se peccatum, diximus sape, sicut si sit ob finem malum, vel ob finem, ut appetitus sensitivus turpiter commoveatur, peccatum esse numquam dubitavimus. At difficultas est, si sit in rebus obscenis, solum ob delectationem, quæ in ipsa imaginatione sentitur, ibi, persistat, an sit peccatum mortale? & affero,



affero, esse semper mortale. Rationem lectione iterum mox cap. quinto §.  
huius alij aliundē ducunt, quæ semper 2. redibit sermo, nam quid in alijs ma-  
mihi difficilis est visa. Ratio ergo, & terijs, ibidem afferam §. primo.  
quidem pro praxi notanda, ac s̄epius b s. Th. de verit. q. 15. art. 4.  
a nobis repetenda, est, quia voluntariè & deliberatè imaginari velle turpia,  
fine bono, vel certè commodo aliquo fine, (is enim bonus finis alio mentem,  
atque adeo ab ipsis turpibus divertit) multò magis ob delectationem ibi exi-  
stentem, falsum est in ipsa imaginatio-  
ne persistere: nam, quamvis in se sit  
actus ineficax, nec tu illum assumas, ut  
procedas ad vltiores turpes actus, ta-  
men ipse ex se propter sympathiam &  
connexionem nostrarum potentiarū,  
earumque actuū, ad se advocat ipsa  
commotionem spirituum genita-  
lium, & motuum inordinatorum ap-  
petitus carnalis; quid enim magis ho-  
minem commovet ad turpia, quam  
illa eadem turpia serio propter meram  
delectationem, etiam speculatiuum,  
imaginari, ut experientia certissimè  
constat? immo bene dixit S. Thomas,  
b tard abesse à tali delectatione consen-  
sum in opus ipsum. Cum ergo eam  
commotionem numquam procurare  
liceat, nec licebit, ea turpia velle positi-  
vè imaginari. Posituè, dixi; nam eam  
imaginationem solum permittere, an  
quis licet possit, mox dicetur cap. 2.  
Quod dicimus de imaginatione, dic de  
cognitione; nam eodem modo con-  
vinceretur quis velle procurare illici-  
tas illas commotiones. Si quidem  
propter magnam dictam sympathiam;  
quam habent iij actus & potentia  
inter se illæ commotiones quasi necessa-  
rio consequuntur. Hæc autem dicta  
sunt in rebus obscenis, de quarum de-

9. Dico quartò, ipsius actum volup-  
tuosum appetitus sensitivi, si est sequens  
ad rem deliberatè imaginatā, seu voli-  
tam graviter malā, peccatum mortale  
esse, quia, ut dictum est, talis est delecta-  
tio, qualis res, vnde consequitur. [Quod  
si sit sequens ad imaginationem vel co-  
gitationem rei leviter malæ, ut ad tactū  
jocosum manus, ad vltiora non tran-  
scendentem, erit veniale. Id quod con-  
stat ex sparsim supradictis de sexto præ-  
cepto. Si deniq; sequatur nobis nolen-  
tibus, seu certè sine consensu deliberato,  
quod accidit in primis motibus, quan-  
do sine advertentia pravum objectum  
imaginamur, vel quando nullo etiam  
præmagnanato prauo objecto, fervet in  
nobis abundantia spirituū generationi  
servientium, nullum esse peccatum, palā  
est, quia supponimus, nullum adesse  
consensum voluntatis, de qua tamen  
re mox explicatius plura dabuntur.

10. Afferamus nunc modū, quo quis  
cognoscat, se non delctari de objecto  
malo, v.g. de copula, nec de cogitatione,  
ut relata ad rem malā, nec de cogitatiōe  
ex levitate & otiositate, sed de mera ipsa  
cogitatiōe, quæ ex n. 1. est etiā in Ange-  
lis, & consequenter ex se peccatum nō est.

11. Ad id dignoscendum dantur  
tres regulæ. Prima est, quæ jam dicta  
est de fine: si enim ob finem bonum  
studendi, medendi part. s v.g. inhonestas,  
sciendi artificium & stratage-  
mata, quæ sunt in bello, quamvis inju-  
sto, & similia cogitationem illam de re  
mala admittas, præsumcris, solum  
velle



velle puram delectationem meret cogitationis; at si ex affectu otioso & vano, periculum est. ne sit ex affectu ad ipsam rem malam: & in rebus turpibus esse peculiarem rationem id condemnandi, jam modo dixi n. 7.

12. Secunda regula est, ut videas, an te reflectas super ipsam cogitationem, ipsam volendo; nisi enim ad illam saltem implicite & in actu exercitu reflectas, jam signum est, te velle potius objectum, quam cogitationem de ipso.

13. Tertia, ut advertas, an cogitando aliarum rerum non malarum eventus, causas, artificia &c. æque delecteris, atque cogitando similia in rebus malis, injustis, obscenis, &c. Si plus delecteris in his, est signum affectus pravi; si æque, signum est non mali affectus: vide quæ dixi, cum de turpiloquio, libro septimo, cap. octavo, §. quarto.

#### CAPVT SECUNDVM.

An ad peccatum evitandum opus sit, positivè resistere cogitationibus & motibus prauis.

1. Status questionis est, an quando intellectus incidit sine deliboratione in cogitationem illicitam, v. g. de turpi copula, possit extra matrimonium, licet voluntas permittere ipsam cogitationem, non quidem positive ei consentiendo (id enim clara esset culpa) sed non resistendo, & negativè se habendo: idem queritur, propter paritatem rationis, de motibus &

ut modo diximus, etiam nobis nolentibus, insurgunt in appetitu sensu, hoc est, in carne, an liceat, eas simili modo permettere, non quidem illis consentiendo, seu illas positive admittendo; id enim clara esset turpitudo, sed solum non reprimendo.

2. De hac re non ego loquar, sed Castropalus a, qui sic habet; Etsi supra dicta sententia affirmans, esse peccatum quando voluntas non reprimit, neque coeret, cum posset, valde probabilis sit, tamen probabilitas mihi videtur, non peccare mortalis voluntatem, quæ non reprimit hos turpes motus, sed merè negligit se circa illos habet, dummodo ab sit periculum pollutionis, aut ulterioris grauis consensus. Tenet hanc sententiam Caetanus, Navarus, Toletus Philiarchus, & alij plurimes, quos refert Salas. Et licet ipse noluerit suam mentem declarare, fatis insinuavit, esse pro hac sententia ut legenti patebit.

a Castrop. t. 1. tr. 2. d. 2. p. 10. §. 5. n. 3. legatur Joan. Sanchez, qui fuit idem probat diff. 21.

Probabilissimam esse affirmat Thomas Sanchez, qui hanc reputat probabiliorem in rigore metaphysico, practicè tamen aliam dicit esse veram Præcipua ratio, quæ movet, est, quia huiusmodi motus à natura proveniunt, ita ut omnes concircere, sit impossibile; aliquos, difficultum. Non est igitur credendum, de diuina bonitate, salutem aeternam hominum his periculis excepto, posuisse; esset enim salus aeterna cujuslibet hominis non leviter periculo exposita,



exposita, si, cum à natura sit in ma-  
„lum proclivis, arctatus sit, non solum  
„non admittere hos motus, sed etiam  
„illos reprimere & coercere. Item si  
„obligatus esset homo, hos motus re-  
„primere, cum possit, obligaretur sa-  
„nè media apponere non difficultia ad  
„reprimendum: ergo si videat hos  
„motus consurgere, eo quod in  
„loco tali, vel tali modo decumbit, te-  
„nebitur à tali cubitu abstinere, immo-  
„surgere, & se aliqualiter verberare,  
„quod certè est durissimum, & pauci  
„admittunt. Deinde peccabit morta-  
„liter, si non evitat causas, ex quibus  
„cognoscit, hujusmodi motus pravos  
„insurgere, nam si postquam excitati  
„sunt, tenetur illos reprimere, à for-  
„tiori tenebitur reprimere, ne exci-  
„tentur: tenebitur ergo sub mortali,  
„scemnam non alloqui, nec videre,  
„aliaque similia omittere, quæ in om-  
„nium sententia, vel bona sunt, vel  
„solum venialia. Denique argumenta  
„contrariæ sententiae, non urgent &c.

3. Hæc Castropalaus, qui responderet  
ad quinque argumenta, quibus funda-  
tur prior sententia, quæ, si libet, lege.  
Illud satetur, cum communis b. esse ve-  
niale, si, cum possis, non reprimas, ne-  
que excusationem habeas, cur non re-  
primas, quia negari non potest, illos  
motus esse deordinatos, & ad copulam fluit, non hoc  
incitare. Excusatio autem sufficiens es-  
set ea, quæ est necessaria, vel utilis tibi,  
vel alteri, ut audire confessiones, legere,  
studere, urbanè loqui cum scemna, e-  
quitare, & multo magis excusabit ti-  
mor, ne, dum attendis ad volendum  
positivè reprimere, crescat tentatio: tunc  
enim, immo & semper, in ejusmodi

tentationibus consultissimum reme-  
diū est, statim avertere cogitationem  
ad alia objecta non illicita, præsertim  
quæte maximè afficiunt: id enim tunc  
non solum est nō negativè se habere, sed  
certè resistere. Quæ omnia, & etiam si  
prævideatur pollutio, sed non intenda-  
tur, nec sit periculum consensus, dicta à  
nobis sunt in superioribus & fatis.

b. 1. Io. Sanc. Lc. qui n. 3. nec esse veniale  
contendit. c. sup. lib. 7. de 6. præ.

4. Obijcis: dictum perspèctiva est,  
cogitare turpia, vel asumere ea, quæ  
notabiliter influunt ad pollutionem,  
commotionemque carnis, esse mortale,  
quia tunc esset, illas procurare, quod  
numquam licet, ergo etiam non repri-  
mere; nam id, maximè in naturis cali-  
dioribus, est, virtualiter velle; seu ac-  
ceptare causam notabiliter influentem.

Respondeo, negando consequentiam,  
neque enim, non reprimere, seu solum  
permittere, est acceptare causam nota-  
biliter influentem, tum quia solum per-  
mittens, nec verè vult, nec consensit, nec  
acceptat, ut supponimus, esto, non re-

primat; tum quia nemo negabit, plus  
commovere carnem & incitare ad tur-  
pes commotiones, velle positivè illos  
motus, illasque turpes cogitationes fo-  
vere, quam circa easdem se habere ne-  
primas, quia negari non potest, illos  
motus esse deordinatos, & ad copulam fluit, non hoc.

## CAPUT TERTIVM.

*De delectatione morosa.*

C Vm delectatio morosa sit, & ex-  
petatur in ipsis cogitationibus  
internis, huc maximè ejus ex-  
cccc plicatio

plicatio pertinet. De qua sic in Methodo confessionis & ego disservi.

a. In Meth. Conf. lib. 2. c. 7. §. 1.

2. In hoc differt desiderium, & consensus in copulam, v. g. illicitam; (idem dicendum in alijs materijs) à delectatione ipsa, quam quis habet de eadem copula; quod desiderium est actus ex se efficax & consummatur, seu consummari intenditur in ipso opere externo fornicationis: delectatio verò est actus ex se inefficax, & consummatur interius: non enim transit ad volendum exequi id, de quo quis delectatur: nam propter ea dicitur etiam delectatio morosa, quia peccans, dum moratur in ipsa delectatione, nec ad opus consummatū procedere intendit, in eadem veluti conquiescit. Cum autem certum sit, in desiderio, & consensu, immò & in gaudio de re illicita jam habita, debere coram confessario aperiri conditionem personae desideratæ, hoc modo: *Desideravi monialem, nuptam, &c. & in homicidio desideravi, occidere patrem, vel fratrem, &c. seu gavisus sum, occidisse patrem, vel fratrem, &c.* quia tales voluntatis actus supponuntur esse contra diversas virtutes, unde & sine dubio sumunt suam specificationem à talibus objectis specie morali diversis, cum, inquam, certum id omnino sit, celebris controvertitur quæstio de delectatione morosa, an scilicet si quis solum delectetur (sed non desideret) de copula, quam cogitat, cum nupta v. g. vel cum moniali; debeat id explicare, an potius sufficiat dicere, toutes venere de copula illicita delectus sum, illam cogitando.

3. Et, ut pro nostra consuetudine scholasticas quæstiones prætermitta-

mus, dico, probabilem esse h sententiam docentem, sufficere sine obligatione declarandi personas, circa quas ejusmodi morosa delectatio versata est. Ratio est, quia delectationes ejusmodi non variantur specie, ex variatione conditionum illarum personarum: non variantur, autem, quia satis superque & ad quæsumunt, contrahuntque suam omnem turpititudinem ex oppositione cum virtute temperantiae, quæ nunc sola violatur: neque enim ille animus, sic sistens in sola ea voluptate, procedit ad violandum, seu ad desiderium violandi jus speciale conjugate, solutæ, sacræ, &c. ergo satis explicatur per solam oppositionem ad virtutem castitatis.

b. Vasq. p. 2. disp. 111. C 112. Castropol. 1. tr. 2. d. 2. p. 10. §. 4. aliquæ non pauci.

4. Non sic, si quis delectaretur de concubitu conjugatæ, formaliter, ut conjugata est, seu ut nupta est, seu ut sacra est (id quod certè rarissimum erit) tunc enim esset necesse, id explicare, ut ex se patet: nam propterea, si quis se morosè delectaret de concubitu sodomitico, non satis esset, si diceret: *Delectatus sum de copula illicita;* sed debet hanc specialitatem explicare, quia tunc formaliter delectatio versatur in talem copulam, ut diversam à naturali con-gressu.

5. Quod diximus de delectatione morosa, videtur etiam, secundum hanc sententiam, dicendum de aspectibus, quando quis respicit mulieres, affectu venereo, sine progressu ad eas concupiscendas, quia tunc videtur similiiter, interius delectatio tota consummari. At si, easdem venereo mortali affectu tangentes



dangeres, quia exterius actio consummatur, esset personæ conditio declaranda.

6. An vero, sicuti certum est, quod qui vovit castitatem, si morose delectetur de objecto turpi, v. g. de fornicatione, debet explicare suum votum, quia sic adversus castitatem, & adversus religionem delinquit, ita conjugatus, si similiter morose delectetur, obstringitur in confessione explicare, se esse conjugatum? affirmat Vasquez c, quia fides matrimonij obligat non solum corpus, sed etiam mentem in aliud continent peccata. Verum id fuit in editione Hurtadus d his verbis: docet Vasquez, nam delectatio in peccata diversa, conjugatum, qui venere delectatur quamvis jam confessa, non tendit in de fornicatione cum non sua, non unam rationem communem, sed in tantum peccare peccato luxurie contra castitatem, sed etiam peccato adulterij, contra fidem matrimonij. Id tamen difficile est, & absque sufficienti fundamento probatum, quia difficile est, & absque sufficienti fundamento, in matrimonio praestari fidem conjugi non collocandi mente in aliena. Hæc Hurtadus sane probabiliter.

c Vsq. 2. p. t. 1. disp. 112. c. 2. num. 10.  
d Hurtad. de subiecto pecc. d. 4. diff. 10.

De locutione turpi, sistente in sola locutionis delectatione, dixi in superioribus lib. 6. c. 8. præsertim 9. 4.

De unico actu desiderij versantis circa multa objecta, dixi c. 1. §. 8. & 9.

7. Hæc in methodo confessionis pro ea occasione in medium attuli; ubi supposui, delectationem internam de objectis graviter illicitis voluntariæ, distillatio, commixtio spirituum sumptam esse peccatum id quod licet generationi inservientium, ita nec delectu-

certum sit, siquidem non multò ante diximus, talem esse delectationem, quale est objectum, unde illa conquiritur, tamen adhuc tanquam in proprio loco idem hic distinctius est explicandum, & illustrandum magis, quod jam in capitibus sequentibus faciam.

8. Sed nolo, illud hic non addere: Emmanuel e Sà sic habet: qui delectatur in confessione explicare, se fessis, id solum oportet confiteatur, non autem exprimere, quæ illa fues sunt corporis, sed etiam mentis in aliud peccata. Verum id fuit in editione Hurtadus d his verbis: docet Vasquez, nam delectatio in peccata diversa, conjugatum, qui venere delectatur quamvis jam confessa, non tendit in de fornicatione cum non sua, non unam rationem communem, sed in ipsas malitiis homicidij v. g. furti, fornicationis &c. lege Sanchez f. dicentem, se latere fundamentum hujus doctrinae Emmanuelis Sà.

e Sà v. Confessio n. 16, f. Sanchez, lib. 1. in Dec. c. 2. num. 11.

## CAPUT QVARTVM.

In quo vita statu liceant cogitationes quedam morosa in materia luxuria.

**S**ermo esse potest primò, quoad omnino solutos: secundo, quoad conjugatos: tertio, quoad sponsos. Quartò, quoad eum conjugatos, nunc solutos, id est, quoad vi duos.

2. Quoad omnino solutos. Sicuti his sub mortali non licet copula, polluobjectis graviter illicitis voluntariæ, distillatio, commixtio spirituum sumptam esse peccatum id quod licet generationi inservientium, ita nec delectu-

Cccc 2 Ratiō,



statio, nec cogitatio morosa de illis: sicuti autem hi, solum sub veniali, exercent multos actus non libidinosos, & sub nullo peccato actus naturales, ut fuisse explicuimus lib. 7. cap. 8. §. 1. ita sub veniali, vel sub nullo eorum delectationem capiunt, & cogitationem usurpant. Quae omnia patent ex illo Aristotelis fundamento, quod talis sit delectatio, quale illud, unde desumitur.

3. Una supereft pro omnino solutis hic explicanda difficultas, an iij licet queant delectari morosè in voluntate, vel in appetitu sensitivo, cogitando, vel imaginando copulam, quam sperant habere cum feminis, quando illam uxorem ducent? & respondeo, non licere a; quamvis enim eam sperare, immò & desiderare licet valeant, id tamen solum intra terminos & cancellos esse debet, quibus non transfliant ad delectationem libidinosam præsentem, hoc est, cui in eo statu, quo soluti sunt voluntariè adhærent: ratio est, quia illa delectatio de futura copula, apprehensa ut præsenti, vel etiam apprehensa ut futura, sed nunc præsentem delectationem motusque sensuales pariente, prohibita est solutis, ergo illis illicita; prohibita autem est, quia ex se influit in libidinem. & est ejus inchoatio, ut superius b vidimus.

a Sanch. lib. 9. matr. d. 47. nu. 4. alijs citat. quibus adde Vasq. p. 2. t. 1. d. 114.  
b Sup. c. 1. num. 8.

Quo autem modo, data causa excusante, possit perfisti in operationibus, licet ex illis prævideatur pollutio, diuillatio &c. dixi in superioribus c fusè.

c Sup. li. 7. c. 3. §. 5.

Quoad Conjugatos, dixi plenè ibidem d.

d Sup. ibid. c. 3. §. 5.

4. Quoad sponsos, sponsaque, sicut supra concessimus, his licere quosdam pudicos tactus, amorisque signa, quando exhibentur fine periculo pollutionis, & consensus in illam, modo ibidem explicato; sic in præsenti concedimus e, posse eos morosè in illis pudicis actibus, amorisque signis delectari, eaque cogitare, vel imaginari, sine prædicto vel simili periculo; patet id ex illo principio toties dicto: cui licet operatio, licet voluptas inde derivata. Contra, sicut ibidem docuimus, his nequam licere actus impudicos, & multo minus copulam, ita hic propter idem principium affirmamus, nec cogitationem morosam de illis, nec delectationem, ulla ratione licere; illi ergò licet poterunt desiderare copulam, modo dicto nu. 3. de solutis, sed non eis licebit, de illa delectari; nam in hoc sunt omnino solutis pares.

e Sanch. ibidem nu. 6. Vasq. ibid. nu. 2. Lef. li. 4. c. 3. du. 15. num. 120. lege Bonac. mox citandum.

Vnde mihi displicet Fagundez, si docens, probabile esse, id licere: non enim est probabile, etiam propter rationes, quas ipsemet prosequitur. Et quæso te, Fagundez, si dum respondes ad primū argumentum contrariae sententiae, sic habes: ad primum dico, rationem,, appetitus sensitivi talem esse, quale,, est objectum; unde cum feratur ex,, sua natura in objectum præsens, hoc,, est, in matrimonium præsens, & tale,, matrimonium non detur, sequitur eviden-



## CAPVR Secundum §. I.

605

, evidenter, esse copulam mortalem : an v. g. fiat die vetito Veneris, an die „ si, inquam, sic doces, qua ratione in Dominico ? secundo, per appositam eodem loco ante sex circiter lineas do- conditionem, ut si quis delectaretur de cūisti, contrarium esse probabile? Certè aliquo malo objecto, sub conditione, si scimus omnes, non esse probabile id, cuius contrarium est evidens.

f. Evidunt. præcept. 9. in Decal. c. 4. n. 3.

5. Quoad Viduos dico, hos posse par modo gaudere de copula habita, & desiderare futuram, pro tempore, quo forte transibunt ad secundas nuptias, sed nullo modo si in præsenti delectari. Patet id ex modo dictis. Gaudere enim est, copulam præteritam licitam, dum taxat approbare ; & desiderare, est, futuram eamdem licitam velle, quæ non sunt prohibita; at delectari extra statum actualem matrimonij de illa, sive ut præsenti, sive ut præterita, vel futura, sed ut præsentem delectationem pariente, illicitum est, ut modo diximus de omnino solutis. Qua ratione in prædictis gaudio & desiderio possit subrepere mortal is culpa, dicam mox, cap. sequenti, §. 3. n. ultimo.

f. Sanch. ibi. nu. 7. Vag. p. 2. eo. 1. d. 114. mu. 3. Caſtrop. t. 1. t. 2. Bopac. p. 10. §. 2. n. 7. de matr. q. 4. p. 8. n. 84.

## CAPVT QVINTVM.

An, & quando à cogitationibus malis cenſatur separari malitia, ut illæ, ea- rumque delectatio licetè ad- mitti poſſint?

**I**D duobus modis uisitare potest: primò, per præcisionem; ut si quis cum delectatione cogitaret de actu odij Dei non est separabilis, ne ab eo carnium, immo & eas desideraret; intellectu quidem malitia, ideo nec de præscindendo, an sit prohibitus, necne,

an v. g. fiat die vetito Veneris, an die Dominico ? secundo, per appositam conditionem, ut si quis delectaretur de aliquo malo objecto, sub conditione, si malum non esset, v. g. sic, delector, im- mo & cuperem hodie comedere carnes, si dies vetitus non esset. Utique modus suas proprias difficultates habet, in ma- teria luxuriæ, quas non habet in cæte- ris materijs; nam propterea separari de singulis erit disputandum.

### §. I.

Per præcisionem in alijs materijs à luxuria.

**R**Egula universalis hæc est. Quoties ab objecto graviter il- licito potest separari malitia, per præcisionem intellectus, toties non erit mortale, de illo delectari, v. g. quia à comestione carnis illicita die Sabbati, potest intellectus separare, seu præscin- dere comestionem carnis, à circum- stantia Sabbati, unde tunc comestio remanet non mala, cum tota ejus ma- litia ex sola prohibitione pro die Sabba- ti dependeat; ideo tunc cuilibet fideli licebit, de illa comestione mente & co- gitatione delectari, immo & eamdem desiderare. Ratio est manifesta, quia objectum sic menti repræsentatu nullam involuit malitiam, ergo non est, unde in illo immorari, sit illicitum;

contra vero, quoties separari eo modo

non potest, delectari de eo, vel illud velle, nequaquam licebit, v. g. quia ab

actu odij Dei non est separabilis, ne ab

eo carnium, immo & eas desideraret;

intellectu quidem malitia, ideo nec de

præscindendo, an sit prohibitus, necne,

eo delectari, nec illum cupere licet.

cccc 3 z. Hinc

a. Lef. lib. 4. c. 3. dub. 15. Vsq. 2. 2.  
d. 100. c. 2. Sanc. Castrop. mox citandi.

2. Hinc subdenda est alia secunda regula b. Quandoquidem in omnibus objectis solum illicitis ex praecepto quocumque positivo, semper est separabilis per intellectum malitia, ideo ea malitia per intellectum praecisa, seu non intellecta, poterit fidelis in ijsdem delectari, eademque desiderare. Atque ex hac regula sit, ut possum oblectari de negatione auditionis Missæ Dominicæ, de usu predicto carnis die Quadragesimæ, de ingressu prohibito in monasterium Monialium, dummodo ab his abstractam per intellectum, seu non intelligam circumstantiam diei Dominicæ, Quadragesimæ, prohibitionis. Nam si delectarer de ijsdem, ut prohibitis, seu ut illis circumstantijs subjacent, illicite me delectaturum, nimis est exploratum. Gaudebat quidam sacerdos, se per inculpabilem oblivionem matutinum diei hesterni non recitasse: reprehendebatur ab alio nimis religioso sacerdote: huic dixi, potuisse illum gaudere de parentia illa laboris, quia tunc nullo modo peccaminosa fuit, atque adeo tale gaudij objectum erat ab omni malitia separatum, nedum separabile. Delectabatur aliis, se occidisse inimicum, & quia id fuit in Ecclesia, dubitabat, an committeret mentale sacrilegium, sic se delectando? respondi, licet commiserit sacrilegium, quando occidit, quia opus externum homicidij non fuit separatum ab Ecclesia, tamen si ipse nunc non delectetur, nisi de occidente, abstractendo a loco, sacrilegium non committit; quia tunc ejusmodi delectatio peccaminosa, quæ solum est in-

terior, cadit in solam occisionem, & non in locum sacrum.

b. Ijdem.

3: Subdo & ego, & Castropalaus e, non tamen Thomas d Sanchez aliam tertiam regulam. In aliquibus objectis jure naturæ illicitis potest ab intellectu separari malitia, in aliquibus non potest; licet igitur in illis delectabitur, illicite delectabitur in his. Ratio est eadem jam jam dicta. Dico, delectabitur, non verò hic addo, desiderabit: id quod mox num. 4. facile intelliges. Quoniam ergo ab odio Dei, ab idolatria, à mendacio, ab infidelitate, à desperatione, juramento falso, ea praecisio fieri ab intellectu non potest: quacumque enim facta abstractione, semper remanent mala; ideo nec licebit de illis unquam oblectari. At quia ejusmodi separatio fieri potest in homicidio, duello, furto, detractione de vero crimen, & similibus, ideo licebit ex ijs sic abstractis delectationem cogitando capessere. Quod autem fieri separatio possit, (id quod negat Sanchez e, nam propterea tertiam hanc regulam minus approbat) inde probatur, quia homicidium auctoritate publica, & in bello justo commissum, furtum urgente necessitate, detracatio de vero crimen in defensionem justam facta, mala non sunt, ergo separari ab illis malitia potest, ergo juxta primam regulam delectari de illis sic à malitia purgatis homo licet vult. Confirmatur: nam non ob aliam rationem potuit Azor f culpa nequam damnare militem, si is, fingens se dum in bello injusto, solum delectaretur, quod fortiter ac strenue pugnauerit, quod se defenderit, quod similia ferit;



erit; nec ob alias ipse idem Sanchez g  
peccati non damnat laicum, qui dele-  
ctaretur cogitare, se audire confessiones,  
abstrahendo, an habeat jurisdictionem  
sacerdotiumque, necne, & tamen est  
jure naturae prohibitum, pugnare in  
bello injusto, & audire confessiones  
sine jurisdictione &c.

c Castrop. t. 1. tr. 2. d. 2. p. 10. §. 2. na. 22.  
vers. dico quarto. d Sanch. l. mox citand.  
e Sanch. l. 1. in Decal. c. 2. nu. 10. f Azo  
p. 1. lib. 4. c. 6. q. 1. fine. g Sanch. l. 1. in  
Decal. c. 2. n. 35. vide etiam num. 16.

4. Obijcis primò: prædicta omnia  
ex natura sua illicita non potest licite  
voluntas h velle seu desiderare, ergo  
nec in ijs absolutè delectari. Respondeo,  
negando consequentiam; nam deside-  
rium & voluntas efficax, seu absoluta  
tendunt ad ponendum ipsum opus ex-  
ternum, quod semper, si est ex se illici-  
tum, est illis circumstantijs vestitum,  
atque adeo semper malum; id quod  
non est in mera delectatione, quæ cum  
sit actus inefficax, & consumetur inten-  
tius, poterit sequi ab objecto repræ-  
sentato, ut non malo, sine ulteriore  
progressu ad ipsum opus externum, ut  
supponimus. Atque ex his vides, cur  
modò nu. 3. dictum est ( licet quis de-  
lectabitur, non verò desiderabit) quod  
satis sit, innuisse.

h sup. lib. 5. §. 3.

5. Obijcis iterum; imaginativa non  
potest imaginari hæc objecta ex se ma-  
la, nisi ut ipsa in re sunt, atque adeo  
malitiam separare non potest ab objec-  
tis ex se malis, ergo pariter nec intel-  
lectus. Respondeo, quidquid sit de  
antecedente, quod Philosophis decer-  
tendum relinquo h nego consequen-

tiam. Nam imaginativa, quæ est po-  
tentia sensitiva, esto, non apprehendas  
res, nisi prout sunt externæ & sensibiles,  
at intellectus habet vim abstrahendi u-  
nam rationem ab alia, ut ex ijsdem  
Philosophis tamquam certum merito  
supponimus.

i 1. Castrop. t. 1. tr. 2. d. 2. p. 10. §. 1. d  
num. 1.

### §. II.

Per præcisionem in materiis  
luxurie.

**L**icit in materia luxurie possit  
quis aliquando separare omnē  
malitiam ab objecto turpi; po-  
test enim in copula fornicaria considé-  
rare ipsam copulam, præscindendo ab  
eo, quod sit cum non sua, ut item po-  
test osculum apprehendere sine macula  
impuræ libidinis; ut etiam impudicos  
tactus partium in honestarum simili  
modo valet à turpitudine luxurie se-  
parare, sicuti facit Medicus, quando  
eas considerat, ut illis medeatur; ta-  
men voluntariè & seriò, sine ulla ne-  
cessitate, vel saltem coñoditate in præ-  
dictis, sive in voluntate, sive in appe-  
titu sensitivo, eadem voluntate consen-  
tiente, delectari, etiam malitia per intel-  
lectum abstracta, esse extra matrimo-  
nij statum mortale, a indubitatim mi-  
hi est. Ratio dicitur ex illo fundamen-  
to alijs allato, quodque sepius in hac  
materia esse repetendum prædixi, quia  
nimurum propter mirabilem sympa-  
thiam harum potentiarum & aëtuum,  
voluntariè in ijs delectari, est b velle ha-  
bere in se aliquid, quod notabiliter in-  
fluat in pollutionē, distillationē, com-  
motio-



motionem, quod numquam licet; influat, inquam, si non per veram causationem (volo enim abstrahere à speculativis disputationibus) certè per dictam potentiarum & actuum connexionem, ut ipsa experientia nimis clarè testatur. Quæ ratio, quia non militat in alijs materijs à luxuria, idè in illis potuimus voluntatis delectationem concedere, quod hic nulla ratione possumus.

a Vasq. p. 2. d. 109. c. 3. tr. 3. d. 6. sec. 4.

Basil. Pont. lib. 10. de matr. c. 16. §. 2. nu. 8.

b Castrop. t. 1. tr. 8. d. 2. p. 10. §. 2. n. 6. contra Sanch. li. 9. de Matr. d. 47. nu. 1. & li. 1. in dec. c. 2. à n. 31.

2. Hinc non habebit e delectari de pollutione habita in somnis, vel tibi soluto de copula maritali inter conjuges habita, quia licet hæc sine peccato fiant, & à malitia separantur, tamen illa delectatio præsens serio suscepta, est ex se excitativa impuræ commotionis. Fatoe tamen, posse te d gaudere de prædicta pollutione, & illam desiderare, ob ob finem bonum deoneraçæ naturæ, atque etiam gaudere, vel desiderare, ut legitimii conjuges debitum sibi reddant: nam illud prius non est delectari de pollutione, sed de pollutionis effectu, qui bonus est, & hoc posterius non est de copula delectationem sumere, sed copulam legitimam approbare, quod certè nihil continet impuritatis.

c Sal. tr. 13. d. 6. sec. 32. n. 219. Basilius Pont. l. c. n. 13. Castr. l. c. nu. 10. d Idem ib. & innumeris apud Dianam p. 3. tr. 5. resol. 87. & apud Caramuel. in Reg. S. Ben. num. 151.

3. Vnum advero, si gaudium vel desiderium sit tantum, ut degeneret in delectationem libidinosam, cum tuo nequaquam procedit. Sensus enim est,

consensu in illam, né gatidum quidem vel desiderium fore licitum, idq; propter excitatam impuram delectationem, modo jam jam dicto.

### §. III.

Per appositam conditionem in alijs materijs à luxuria.

**R** Egula generalis sit hujusmodi. Sive res sit primò prohibita, jure positivo, sive secundò jure naturæ, à qua re separari, per abstractionem intellectus possit malitia, ut modo dictum est, sive tertiod res sit eodem jure naturæ prohibita, à qua separari malitia non possit, numquam est mortale, illam desiderare, & in ea delectari, si apponatur conditio. Exemplum primi est; Cuperem, vel cum delectatione cupio, hoc die sabbati comedere carnes, si vetitum non esset; vel si concessus dies esset; vel si licet; vel si non esset peccatum; Huc reducitur, quando res est prohibita ex voto, ut si quis ita sentiat: si non fuissim ingressus in religionem, non ingredierer; si non vorissim jejunium, comederem; Exemplum secundi, cuperem, vel cupio interficere latronem, si essem index; furar, si non esset peccatum; infamarem aliquem, si justam haberem infamandi causam, vel si licet. Exemplum tertij; Mendacium proferrem, idolum adorarem, odio Deum haberem, seu cuperem, hoc facere, si non esset Dei offensa, si licet &c. Ratio omnium bonorum est, quia hæc est voluntas inefficax, quæ nihil ponit in esse, & cum illa benè stat efficax, & absoluta voluntas, quæ ad illa agenda nequaquam procedit. Sensus enim est, ego no-



ego nolo efficaciter & absolutè comedere carnes die vetito; volo manere in religione; nolo furari; nolo proorsus Deum odio habere; quamvis si hæc omnia peccata non forent, hoc est, Dei & Domini mei offensa, facile mea infirma voluntas in illa propenderet. Atque ex hac tertia parte regulæ vides, latius patere, ad amoendum peccatum apponere conditionem, quām solum per intellectum abstrahere; siquidem abstractio non potest haberri in rebus in se intrinsecè malis, ut §. 1.n.3. vidimus; potest, ut jam dictum est, apponi conditio.

a *Vasq. p. 2. disp. 110. c. 2. Sayrus in clavi, lib. 8. s. 7. n. 21. & 29. Salas l. c. sec. 27. nn. 108. Sà u. peccatum, n. 2. Bon. de matr. q. 4. p. 8. n. 21.* b *Caet. in summa, V. cogitationis peccata.*

2. Adverte duo; primò in duabus partibus hujus regulæ consentire ferè Doctores: at in parte tertia dissidere vehementer: nam Sanchez b, & Basilius Pontius c (quales Doctores!) contendunt esse mortale; Vasquez d & Castropalaus e (qualia item Doctorum lumen!) docent, mortale non esse, desiderant: Fornicarer cum illa, nisi esset Dei offendere, apposita prædicta conditione, ea, sensa: uxorem ducarem, nisi essem sacerdos, cum Berta me conjungerem, si mea quorum posteriorum, quos nos sequimur, ratio est, quia argumentum, quod urget in prima & secunda parte regulæ, militat & in tertia; lege Castropalaum, qui adversariorum rationes optimè diluit.

b *Sanchez* alios referens lib. 1. in Dec. c. 2. n. 23. c *Basil. Pont. lib. 10. de matr. c. 16. n. 20.* d *Vasq. p. 2. d. 116. c. 2.* e *Castrop. alios referens t. 1. tr. 2. d. 2. p. 10. §. 3.* nnn. 4.

3. Adverte secundò, ex aliquo capite evenire aliquando, ut in his velleitatis bus (sic vulgo appellantur voluntates hæc inefficaces) peccetur mortaliter, ex pravo nimirum actuali aliquo affectu, à quo imperentur. Si quis enim sic ex animo dicat, *Cupio vindicari de meo inimico, si mihi liceret: odio haberem Deum, si non esset peccatum, &c.* aufert quidem malitiam per appositionem conditionis, sed si hi actus imperentur à vero odio inimici, & Dei, jam ex hoc capite peccata erunt mortalia. Nam propterea quia hic actus, *Destruerem Deum; destruerem inimicum, si non esset peccatum,* proficiuntur ab odio actuali Dei, vel inimici, ideo, ut idem Castropalaus f notat, semper erit peccatum, non ex se, sed ex principio, id est, ex odio actuali, unde procedit.

f *ib. num. 5.*

#### §. IV.

*Per appositam conditionem in materia luxuriae.*

**R**egula præcedenti allata paragraphe, etiam valet a in hac materia. Quare si sic quis cuperet: Fornicarer cum illa, nisi esset Dei offendere, apposita prædicta conditione, ea, sensa: uxorem ducarem, nisi essem sacerdos, cum Berta me conjungerem, si mea esset uxor, &c. non peccaret, quia per illam conditionem jam aufertur ab ijs actionibus malitia. Quamvis enim eam cognoscam nunquam ponendam, vel etiam facimpossibile esse, ut ponatur, tamen sufficit ad evitandum peccatum, si ego illas actiones absolute & efficaciter nolim, ut modo b de alijs materijs dictum est.

a *Castrop. ibid.* b *sup. §. 3.*

z. *Duos tamen hic scopulos cave,*

D d d

quam



quam occultos & periculosæ plenos a-  
leæ! alterum, facile hos actus interdum  
procedere ab alia actuali voluntate ab-  
soluta peccaminosa, & tunc ea desideria  
esse mortalia ex hoc capite, ita affirmam-  
mus, sicuti modo diximus de alijs ma-  
terijs. Hac ratione peccat mortaliter  
adolescens, qui ex turpi amore in puel-  
lam, dicit, *hanc vellem tangere, si mea  
effet uxor*: non enim peccat præcisè ex  
hoc conditionato actu, quia iam per ap-  
positam conditionem cum omni labe  
purgavit, sed peccat ex illo actuali turpi  
amore, qui hunc actum imperavit, ut in  
simili §. præcedente dictum est.

3. Alterum, non debere quempiam  
in his actibus, quamvis inefficacibus,  
longo tempore immorari, nec in illis  
serio delectari; tunc enim ejusmodi a-  
ctus influerent notabiliter in pollutio-  
nem, vel commotionem obsecram, &  
sic recurreret doctrina toties inculcata  
de sympathia potentiarum & actuum,  
quod scilicet impura libido volunta-  
tè procuraretur.

## §. V.

*Expenduntur aliqua alia similes  
conditiones.*

SI quis ita animo sentiat dicatque,  
*Nolo peccare, quia est Infernus, seu  
ne ad Infernum condemnner, non peccat,*  
immo meretur, quia tunc efficaciter à  
se peccatum removet, propter moti-  
vum honestum; nam Deus consultò  
gehenam minatur, ne scilicet homines  
peccent.

2. At verò si optativè sic dicat, si non  
effet Infernus, peccarem, seu vellem pecca-  
re, peccat a fine controversia, quia tunc  
sensus est, ipsum velle absolutè peccare,  
& opere, non adesse poenam Inferni;

quod clara culpa est. Dico ( optative)  
nam si solùm enunciatiè, non pecca-  
fieret enim hic sensus, sum ego talis im-  
becillitatè, ut me cognoscam facilè pec-  
caturum, nisi me Deus compesceret ti-  
more Inferni.

a Bonac. de matr. q. 4. p. 8. nn. 29. Sanc.  
lib. 2. de leg. c. 13. n. 10.

3. Ex eadem distinctione resolve il-  
lud, an sit peccatum, sic efferre. *Nisi es-  
sem Religiosus, fornicarer, te occidere,  
vindicarer. Si enim solùm enunciás im-  
becillitatem tuam, qua sine fræno reli-  
gionis facilè lapsus fuisses, nihil peccas.*  
At si dicas optativè, seu etiam animo  
deliberato illud faciendi, si Religiosus  
non essem, manifestè peccas, quia sensus  
est, te absolutè velle peccare, idemque  
est, ac si diceres optatiuè, vellem occi-  
dere, vellem fornicari. Hoc tamen de-  
siderium b fornicationis fine præsentì  
appetitus delectatione non effet in specie  
sacrilegij, quia per illam conditionem  
( si Religiosus non essem ) tollitur cir-  
cumstantia voti.

b Sanch. lib. 1. in Dec. c. 2. n. 28.

4. Ex eadem distinctione, si quis in-  
loquentur, si non haberem rationem mi-  
status, seu si mibi florerer adolescentia for-  
nicarer, occidere, vindicarer, clare pec-  
cat, si optativè se habeat, vel determina-  
tè ea vellet, quia absolutè affectum  
haberet ad ea peccata, & solum propter  
conditionem sui status ab ijs se se cohi-  
beret. Sicut ergo peccaret, qui diceret, si  
nemo me nunc afficeret, fornicarer, ita in  
prædictis. At si eadem enunciatiè pro-  
ferret, non peccaret, quia sensus esset,  
Ego infirmitatem meam agnosco enun-  
cio, me, nisi ab hoc sancto statu reprimetur,  
sine dubio peccaturum; sicuti etiam nec  
peccat,



peccat, qui enunciavit sic dicit. *Nisi ab alio inspiceret, peccarem*, quia tunc par modo solum ostenditur animi propensio, non vero absoluta determinatio peccandi. Ex his collige similia.

5. Illud superest dubium, an peccet, si quis ita sentiat, dicatur, *Si non esset timor Dei, nollem jejunare, nollem abstinere à fornicatione*. Quando enim sensus est, *Ex infirmitate, seu propensione mea nollem jejunare, vellem fornicari, sed quia mihi in corde sedet timor Dei, nolo absolutè, simile est hoc dictum illi alteri*, *Nolo absolute peccare, quia est Infernus, quod non esse peccatum, modò nū*. 1. dictum est, non ergo est peccatum sic sentire, vel dicere; Bonacina c. absolutè docet, esse mortale, si ille intendat velle desistere à peccato ob poenas, quas timeret à Deo infligendas. Sed est distinguendum: si enim prædicta verba dicantur ex sensu prædicto, non est Bonacina assentendum, idque, tum propter dictam rationem, tum propter communem doctrinam, qua docetur attritio pars Sacramenti poenitentiae in hoc Dei timore fundari, ut fusè alibi: Et rectè Castro-palaus dicitur, *Nunquam est peccatum, velle relinquere peccatum, ob timorem inferni, vel ob amissionem honoris; ob quemcumque enim finem peccatum relinquatur, peccatum non est*. At si eadem verba dicantur in sensu, quo quis velit absolutè peccare, unde & optet, infernum non esse, nemo ambigit, esse peccatum, ut in simili diximus num. 2.

c. Bonac. de matr. q. 4. p. 10. num. 3.  
d. Castrop l.c. §. 3. n. 5. fi.

## CAPVT SEXTVM.

*Qua ratione dignoscatur voluntas consenserisse mortaliter in peccatum?*

De hac satis dilucidè dictu est lib. 1. c. 1. §. 3. à num. 27. quod relege.

CAPVT SEPTIMVM.  
*Expenditur decisio Caramuelis de delectatione speculativa.*

„Caramuel dicitur habet. Ioannes speculativè proponebat sibi varia objecta, ut majorem delectationem haberet in molitie, quo modo peccavit? reperio tria consideratione digna, finem, entitatem medij, & ordinacionem medij ad finem. Finis est delectabiliter pollutio: non mutat speciem major, aut minor delectatio; & ideo non est opus in confessione hanc circumstantiam aperire: entitas medij erat licita: quia est actus speculatorius, qui nullo modo interdicitur: ordinatio medij ad finem non est mala, sed malitia finis, quia sicut materia existit existentia formæ, in sententia probabili, ita etiam in eadem, medium, si alias indifferens, inficitur, non propria, sed malitia finis. Ideo in confessione dicat, commisi mollietiam & sufficit. Haec tenus ille.

a Caram. in Reg. S. Ben. n. 2050.

2. Sed non est audiendus; debet enim is fateri, se contemplatum esse juvenem, vel foemina, vel bestiam. &c. Ratio est, quia relicta his tribus à Camaruele consideratis, cum ipsem loquatur hic de actu pratico, quam nimis ratione Ioannes peccaverit, & confiteri Sacramentaliter debeat. videndum est, quid fuerit in ipsa praxi. In ipsa autem praxi Joannes peccavit peculiari illo peccato cogitato; id quod probatur, quia ut superius b. vidimus, eas speculativa contemplatio serio & sine ullo fine, seu licita commoditate suscepta, &

D d d

propterea

propter meram ipsam speculativam lum subierit consentiendi in ipsum iu-  
delectationem assumpta, per sympathiā venem; relege, quia modo c. i. num. 13,  
evocat commotiones spirituum, immo dixi, maximum signum esse affectus  
& consensum voluntatis in illud idem pravi, magis velle in rebus objectis spe-  
objectum, quod speculativē prætendit culari, quam in alijs.  
contemplari: si ergo Ioannes consensit,  
quod facillimē sit, jam peccavit vo-  
luntate in aliud peccatum, præter ipsam  
mollitiem; si non consensit, se certe po-  
suit in aperto & proximo periculo ta-  
liter peccandi; immo illud periculum  
cōsulto amplexus est, quod esse peccati  
ejusdē specie cum eo, ad quod vergit  
ipsum periculum, scimus omnes: ergo  
necessariō id tamquam novum pecca-  
tum aperiendum est. Quare etiam si  
tamquam dexterimus sagittarius in  
ipsam solam speculativam contempla-  
tionem de pulchro, v. g. juvēne colli-  
maverit, quandoquidem serī propter  
meram delectationem speculativam id  
fecit, multo magis, quia ideo sic con-  
templatus est, ut majorem delectationē  
in mollitiē sentiret, non potest effugere,  
quin evidens proximumque pericu-

b sup. c. i. n. 8.

Conjugēti cogitare alias pulchras  
fæminas, quō se ad actum conjugalem  
excitet, concessit solum speculativē  
Sanchez e; nam pro praxi deinde addi-  
dit, id esse valde dissuadendum, & ta-  
men in hoc casu finis est bonus, nēmpe  
actus conjugalis, & cogitatio illa non  
assumitur, ut magis, quamvis in actu  
licito conjugali, delectetur; certe finis  
bonus, immo & commodus, ut supra  
innui, sicuti etiam delectatio casta de  
propria conjugē, distrahit voluntatem  
à consensu illico in alias personas co-  
gitatas; at in casu, de quo loquitur  
Caramuel, omnia indicant periculum  
evidentissimum, in pravum conser-  
sum objecti cogitati.

c Sanch. lib. 9. de matr. d. 17. n. 6. quem  
nos attulimus sup. li. 7. c. 3. §. 5. n. 13.

**Finis Libri Decimi, ac totius operis secundæ  
partis.**

**LAVS DEO, BEATISSIMÆ  
VIRGINI, AC B. ALOYSIO.**

**INDEX**

